



Cvrsvs Philosophicvs

Arriaga, Rodrigo de

Antverpiæ, 1632

Ferdinando III. Et Mariae Hispaniarvm Infanti Bohemiæ Et Hvngariæ
Regibvs, Archidvcibvs Avstriae, Etc.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95614)

FERDINANDO III.

E T

M A R I A E

HISPANIARVM INFANTI

BOHEMIÆ ET HVNGARIÆ

R E G I B V S,

A R C H I D V C I B V S

A V S T R I A E, E T C.



IX non ita pridem, FERDINANDE, in Tui fines Imperij peregrinum imposueram pedem (haud ita facile reuocandum, cui dulces Tua iniecit beneuolentia compedes) cum adcurrentes, aduolantes vndique ad Te intueor Nobiles, Ignobiles, Religiosos, Principes, qui Philosophica stadia feliciter emensi, ex amœno & fertili Philosophiæ horto, varias, velut nouos fructus, decerpentes Conclusiones, pro canistris chartam, pro foliorum florûmque ornatu emblema ac æ-

* 2

nigma

nigma varium supponentes, MAIESTATI TVAE
munusculum aliquod, Te quidem haud dignum,
grati tamen animi tesseram, symbolum quo se
Tibi omnia debere protestabantur, obtulere: sic
non semel in vnus opulentissimi Regni subiectio-
nem agnoscendam summo Imperatori vnus vel
alter offertur equus. Quid hæc à me extorserint,
fatebor sincerè; inuidiolam, zelotypiam hone-
stam quidem, sed acrem: pudebat enim exterius
animum vinci, qui se interiùs de ceteris triumphare
credebat. non enim me latebat, nullam apud
homines mereri fidem, quæ solâ fide credenda
proponuntur; nec vlla vel probabilia saltem, ex-
teriùs suæ exhibent credibilitatis indicia. ergo æ-
mulatione instigatus ambitiosus animus, non quie-
uit priùs, quàm præ reliquis aliquid maius inuenis-
se sibi blanditus est. Ad Tuos accedo pedes, non
nouis fructibus plenos oblaturus canistros; to-
tam arborem, totum Philosophiæ hortum Tuis,
ô FERDINANDE, trado manibus, non iam per-
missurus ampliùs alios ad Te cum pauculis acce-
dere fructibus, Conclusionibus, qui inter arbores
fructibus depressas spatiaris, ne illis Poëta obijciat:

In siluam ne ligna feras. —

Animus hic meus non tentat aliorum à Te dona
remouere; sed sibi Te totum deuincire audaci
amore desiderat. Hortum pomarium suscepisti;
mirum, si ambitiosior adhuc Liber iste meus Te
Che-

Cherubinum custodem sui petere non præsumat,
vt à se belluas propulses irruentes, ferarum coërceas
morsus, dentes inuidiæ originali peccato liuidos re-
tundas, detractorem omnem Tuo ancipiti gladio
deterreas. Ancipitem meritò gladium dixi: in
Te enim solo suspicit orbis, quæ simul in vnâ sede
numquam crediderat morari posse, & supremum
Regiæ Potestatis fastigium, & summam Morum
integritatem, innocentiam, & Doctrinæ ac Inge-
nij apicem. Potestas, quia terror est orbis, vel ful-
crum, non permittit calamum luxuriare: Genus
enim Austriacum, Augustorum duodecim pa-
rens, innumerabilium profapia Regum, Archidu-
cum vnica sedes, vtriusque orbis caput vel infen-
sissimorum etiam hostium vocibus deprædicatum,
meam nunc exilem non quærit orationem. Illud
tamen silentio non obuoluam, quod vel ex solo
Tuonimine portendere videor: *FERDINANDI no-*
men Progenitoribus Tuis non nisi in noui adsciscendi Imperij pignus
à DEO diuinitus donatum est. Augurium hoc inane
fortasse alicui videbitur. Ego verò, quod constanti
experientiâ, certo semper euentu demonstratum
est, diuinum potius dixerim numen. Ostendit
hoc primùm *FERDINANDVS* ille Primus, qui
paternum Castellæ Comitatum, in Regiam eue-
ctum dignitatem, tribus alijs nobilissimis Legionis,
Galleciæ & Asturum Regnis amplificauit. Diuisa
hæc rursus in aliorum nominum Regibus, non nisi

in FERDINANDO coaluere Secundo , num-
quam ampliùs separanda : quibus FERDINAN-
DVS idem Cordubense, Hispalense, Giennense
Regnum è Mauris ereptum armis gloriôsè adie-
cit. Deerant adhuc Castellæ Nauarra, Arago-
nia, Valentia, Catalaunia, Granata, Sicilia, Neapo-
lis, Nouus orbis, omnia hæc FERDINANDVM
poscebant alium, Magnum illum CATHOLICI
nomine celebrem, qui Mauros octingentis iam
ferè annis Hispaniam opprimentes vicit, oppressit,
exterminauit. Viciniora me vocant. Florentissima
Bohemiæ & Hungariæ Regna, ab Archiducibus
Austriæ toties tentata, FERDINANDO Impera-
tori Proauo Tuo paternis prouincijs seruabantur
addenda. Inter FERDINANDI Filios ac Nepo-
tes Prouinciæ aliquæ distributæ sunt: solus Au-
gustissimus FERDINANDVS Parens Tuus, orbis
deliciæ, earum omnium vnicus extitit Monarcha,
vt nulli nisi FERDINANDIS ea simul possidere
licuisse videatur. Sed gloriosiores adhuc accretio-
nes FERDINANDO verè Secundo à DEO de-
stinabantur. Bona ea, quæ in diuinum cultum à
Catholicis olim piè donata, ab hæreticis iam pri-
dem violenter occupata, & in nefarios vsus sacri-
legè conuersa, à FERDINANDO his diebus Ec-
clesiæ iterùm restituta videmus. Maxima profero.
Florentissimas quondam pietate ac religione Pro-
uincias penitus his diebus à CHRISTI ouili aber-
rantes,

rantes, hæresúmque varietate ac multitudine ad
extremam vsque perniciem redactas, Bohemiam,
Austriam, Morauiam, Silesiam, Stiriam, Carin-
thiam, à FERDINANDO Secundo restitutas Ca-
tholico splendori, iterùm Ecclesiæ aggregatas,
videmus, lætamur, præ rei magnitudine vix cre-
dimus. Totius enim Germanicæ Ecclesiæ si
mediam illas solas partem esse dixerò, non fallar.
A Te ergo, ô FERDINANDORVM TANTO-
RVM TANTA PROPAGO, Orientale Imperium,
Barbaris oppressis, Ecclesiæ & paternis Regnis
addendum restat solum: hoc si sperem certò, cer-
tè non aberrabo. Sed iam ad ea venio, quæ non à
Nomine, Genere, aut Proavis, sed gloriam à Te
ipso, ideóque maiorem pariunt. Et quidem ab
incunabulis ipsis ea sese prodidit ad grauitatem in
actionibus omnibus compositio, vt Pietatem, Iu-
sticiam, Religionem haud vulgarem futuram por-
tenderet, demonstraret. Nihil enim in Te puerile,
nihil leue: nullæ ei ætati concessæ lusiones, omnia
grauia, omnia virilia, omnia seria. Adoleuit ætas,
adoleuere & in vberes fructus pulcherrimi flores,
obediens erga parentes pietas, fortis in Religionem
Catholicam zelus, grauis etiam in minima pecca-
ta horror, assidua Sacramentorum frequentia, te-
ner aduersus Deum Deique Matrem affectus,
singularis in Diuos deuotio, iustissima in suo cui-
que tribuendo iure animi æquitas, Virtutum de-
nique

niſque omnium flagrans compositio, Cælo gratiſſima, horribilis Orco; vt à quâ illud Germaniæ ſibi pollicetur ſanitatē, hic verò fœdiſſimam vitiorum hæreſiſque ſentinam abolendam timet. In horum vnguentorum tuorum ſuauiſſimum odorem currens excurriſſem procul, ſi non ad viciniora ſibi mea me traxiſſet Philoſophia, Ingenium Doctrinamque Tuam. Quis enim, inter vnius Orbis gubernandi non pondere minùs quàm numero graues & immenſas propè ſollicitudines, eam crederet locum habere potuiſſe rerum cognitionem, quam vel ipſi primi Sapientes venerarentur, quam admirarentur, quam aſſequi ſe poſſe diffiderent? Incurrit primùm in oculos, quod in Te minimum eſt, in alijs maximum, eloquentia naturalis, ea facilitas ingenij, memoriæ firmitate ſubnixa, quâ breuiſſimo tempore, & eo quidem ferè ſolo quod recreationi à naturâ conceditur, poſt prandium, poſt cœnam, tot ac tam diuerſas linguas, Latinam, Italicam, Hiſpanicam, Bohemicam feliciffimè ita didiciſti, vt nulla ſe in Te peregrinam agnoſcat, omnes natiuas ſe eſſe glorientur. Verùm Muſæ hæ manſuetiores non Tuum commendant Ingenium, quod grauiffimas Philoſophiæ difficultates ita ſuperauit, vt vbi fortiores aliorum caligant oculi, Tu, (nec mirum: Generoſiſſimarum enim Aquilarum non degener propago,) irretorto hæſeris fixus intuitu; vt dum
Tui

Tui velut bicipitis Aquilæ bini oculi Cælorum
pulcherrimam contemplantur fabricam, Planeta-
rum suspiciunt concursiōem, Astrorum perse-
quuntur influxum, non desint etiam terræ alterius
capitis bini oculi, qui animantium omnium ortus
inquirant, stirpium & plantarum rationes scru-
tentur, Elementorum situs & proprietates discu-
tiant, omniumque ferè naturalium rerum virtu-
tes indagent, causas inueniant: vt meritò AVGV-
STISSIMVS FERDINANDVS II. cui Tu solus
debebaris filius, Te vnus dignus parens, quærere
potiùs possit, qui à Te suo Aristotele discant, Ale-
xandros; quàm, qui Te Alexandrum doceat, Ari-
stotelem: vtrumque in Te vno felicissimè nactus.
Vtrumque etiam, vt eò, vnde inceperat, reuertat-
ur oratio, mea hæc ambit Philosophia; & Alexan-
drum gladio defensorem, & Aristotelem ingenio
& doctrinâ patronum; vt si quæ minùs benè dicta
in eâ videantur, mordere quis tentauerit, Tuo cly-
peo munita eum possit à se amouere; & quod olim
obtinuerat Aristotelis auctoritas, vt ea scilicet sola
contra obrectantium ora quamlibet tutaretur
opinionem, æquiori nunc iure Liber respondeat
meus: *Quid me carpitis? meus ecce Aristoteles* FERDINAN-
DVS *Tertius hæc approbat, obmutescite.*

Sed iam à Fortitudine ad Gratiam, à FER-
DINANDO auocor ad MARIAM: gratius
enim Tibi donum hoc futurum credidi, si &

in. Serenissimæ Tuæ SPONSÆ, cum quâ Tibi omnia communia, manus humiliter deferrem. In Te, ô MARIA, Regum orbis maximorum vnus fortunatissimâ prole, dignissimâ alterius sorore, Hispaniæ gloriâ, Germaniæ fidere, Italiæ decore, Orbis gemmâ, in Te munusculum hoc vile gratum animum reperturum non ambigo, quia Hispanum Hispanæ Tibi longè à Patriâ distanti offertur ab Hispano. Video quidem in Te incomparabilem morum suauitatem, animi magnitudinem, mentis prudentiam, quæ id in Te effecerint verum, quod falsò sibi olim arrogauerat Philosophorum priscum illud lumen Socrates, qui se nec Thebis natum, vt Ctesiphontem; nec ortum Athenis, velut Agesilaum; nec cum Lycurgo in lucem Lacedæmone editum, sed in Orbe genitum, totum Orbem pro patriâ se agnoscere iactitabat. hoc in Te nunc primùm fieri posse agnoscit Orbis: vbicumque enim pedem posuisti, Patriam Tuam intrasse videbaris; ita omnium vbique conformata moribus, affectibus, linguis etiam ipsis, vt quæ in Hispaniâ semper fueras Hispana, credita in Italiâ fueris Itala, & in Germaniâ Germana; tam erga omnes beneuola & amabilis, vt nulla Te viderit vrbs, nulla Te exceperit ciuitas, nullum oppidum, quod non se suam Filiam hospitio excepisse iudicauerit. Testes appello voces illas omnibus communes, quibus
sefe

sele ita in Tuas profuderunt laudes, & etiamnum
profundunt, vt qui Te aliunde non nosset, cre-
deret meritò amplificationes exaggerationesque
eas esse ab affectu & passione extortas, quâ quis
suam patriam suosque ciues ceteris totius Orbis
rebus anteponit. In tam longo enim itinere, ab
innumeris hominibus, genio, affectu & intellectu
inter se discordibus, qui Tuo frui meruerunt aspe-
ctu, de Te nihil difforme, discors nihil vñquam
auditum est; sed omnium vno conclamatum ore:

*Nullus Hungaria & Bohemia Reginam vidit, à quo non eo
ipso & affectum & reuerentiam extorserit in summâ auctorita-
te suauitas, in admirabili pulchritudine honestas, in honestissimo
pudore comitas, in profanâ Maiestate pietas. Hæ similés
que voces frequenter nostris auribus absentibus
dulcissimæ accidunt; ex quibus verum esse con-
cludo, quod paulò antè dixeram, à Te non vnam
Hispaniam, sed Orbem totum vt Patriam pro-
prium illustrari, omnium Nationum bono æqua-
liter Te esse editam. Video equidem hæc ita ef-
fe; adhuc tamen mea me non deserit spes: vt
enim à me Hispano Tibi gratius hoc munuscu-
lum futurum non dubitem, Magnus me ille Im-
perator Aurelius induxit, ex quo frequenter ve-
rissima hæc audiebatur sententia: *Alienigenos cibos
cum gustu comedimus, patrios verò etiam cum amore. Ma-
ius quid innuit Seuerus: qui cùm in Italiâ Ro-
manorum Imperator electus diu versaretur, inte-
riorem**

riorem lineam vestem, non nisi in Africâ ipsius
patriâ natam, vt indueret adduci numquam po-
tuit. Viciniora Tibi non desunt exempla. A-
PHONSVS ille Magnus Aragonum Rex, MA-
IESTATIS TVAE Familiæ non infimum lu-
men, Florentiæ, Mediolani, ac Neapoli super-
bissimè exceptus, pulcherrimarum Vrbium ma-
gnificas ædes, Regia palatia, platearum amplam
ac splendidam latitudinem, Templorum ad pro-
digium structuram, turrium Cælo minantium
multitudinem, triumphum denique, quo exci-
piebatur, Romanis olim celebriorem intuebatur
quidem, suspiciebat, admirabatur exterius, ani-
mum tamen his recreare non poterat; quod au-
tem tantarum vrbium aspectus non præstitit, ef-
ficiebat sola oppiduli cuiusdam Carrioncilli in
Castellâ recordatio, vbi se natum educatûmque
gloriabatur. Quàm oppidum hoc à superbissi-
mis illis ciuitatibus aberat procul, tam meus hic
Liber à magnificis & ingentibus MAIESTA-
TI TVAE ad hodiernam vsque diem vbique
terrarum oblati muneribus superatur, fateor:
sed patrius est cibus, sed Hispanus; & donum
cum gustu, cum amore, à Te ideò recipiendum
mihi meritò persuadeo, eritque Philosophicus hic
hortus & FERDINANDI III. TIBI debiti
SPONSI gladio propugnatus, & MAIESTA-
TIS TVAE gratiâ decorus. Fortitudo & decor
indu-

indumentum eius. FERDINANDVS ei pariet
venerationem, MARIA verò conciliabit amo-
rem. Nestoreos vtrique DEVS largiatur annos,
à quibus Germania felicitatem, totus Orbis no-
uum sibi meritò pollicetur splendorem. Ex Cæ-
sareo Regiòque, multis titulis Vestro Collegio So-
cietatis IESV Pragæ,

MAIESTATVM VESTRARVM

Humillimus servus

Rodericus de Arriaga.



PRÆ-